

Cana, non quidem attentis temporibus, quibus singula contigerunt, sed consideratis rationibus, quod his maxime tribus divinitas Servatoris universo Orbi manifestata est.

DOMINICA I. POST EPIPHANIAM

QUAE EST DOM. INFRA OCT. EPIPH.
(Vid. pag. 205.)

FERIA SECUNDA

Homilia Venerabilis Bedae Presbyteri.
IN LUC. EVANG. CAP. 2.

674

R cum factus fuisset annorum duodecim, ascendit illis in Ierosolymam secundum consuetudinem diei festi, consummatisque diebus cum rediret, remansit puer Iesus in Ierosolym. Qui a nativitate immo a conceptione humana manifestis miraculorum quia Deus sit est approbatus indicis: ipse etiam mox ubi tempus aetatis congruebat, utramque suam reverenter pandere coepit atque aperire substantiam, et quid videlicet patri iuxta veritatem divinae maiestatis, et quid iuxta assumptionis humanae fragilitatem debeat matri. Nec absque providentia duodennis prima suae fidei rudimenta revelabat, quae duodecim Apostolorum ministerio cunctum erat revelanda et elucidanda per orbem. Possumus et hoc dicere, quia sicut septenario, sic et duodenario numero, qui multiplicatis inter se invicem septenarii partibus constat, vel rerum, vel temporum universitas ac perfectio designetur. Atque ideo quae omnia loca vel tempora deceat occupari, recte a duodecimo numero iubar sumat exordium. Non igitur otiose suorum perhibetur immemor extitisse parentum, sed ut nos instruat, quia non solum antequam parentes ipsi, verum etiam antequam Abraham fieret ipse est, in civitate potius ac templo Dei quasi paterno iure residere delectatur.

Et non cognoverunt parentes eius. Exstimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei, et requirebant eum inter cognatos et nolos. Et non inveniētes, regressi sunt in Ierosalem requirentes eum. Quaeret aliquis quomodo Dei filius tanta parentum cura nutritus, his absentibus, potuerit obliviscendo relinquere. Cui respondendum, quia filius Israel moris fuerit, ut temporibus festis vel Ierosolyma confluentes, vel ad propria redeuntes, seorsum viri, seorsum autem feminae choros ducentes incederent, infantesque vel pueri, cum quolibet parente indifferenter ire potuerint. Ideoque B. Mariam vel Ioseph vicissim putasse puerum Iesum, quem se comitari non cernebant, cum altero parente reversum.

Et factum est post triduum, invenerunt illum in templo sedentem in medio doctorum audientem illos, et interrogantem. Quasi fons sapientiae doctorum medius sedet, sed quasi exemplar humilitatis, audire prius et interrogare doctores, quam instruere quaerit indoctos. Ne etenim parvuli a senioribus erubescant discere, et ipse ob aetatis humanae congruentiam, hominibus auscultare non erubescit Deus. Ne infirmus docere quis audeat, et ille puer doceri interrogando voluit, qui per divinitatis potentiam, verbum scientiae ipsis suis doctoribus ministravit.

Stupebant autem omnes qui eum audiebant, super prudentia et responsis eius, et videntes admirati sunt. Nota distinctionem verborum, et tuae salvationis ac fidei mysteria sedulus intueri. *Stupebant qui eum audiebant, et videntes admirati sunt.* Et eo amplius stupebant super prudentia responsionum, quo paucitatem videntes contemnebant annorum. Divina lingua sapientiam probebat, sed infirmitatem aetas praetendebat humanam. Verum haec doctores Iudaeorum quasi nova

stupeant, interque alta quae audiunt, et infirma quae vident, dubia admiratione turbentur: nos autem scientes hunc esse de quo olim Propheta gratulabundus exsultabat: *Parvulus natus est nobis, filius datus est nobis, et vocabitur nomen eius, admirabilis, consiliarius, Deus fortis*: nequaquam miremur eum qui sic parvulus factus est homo, ut nihilominus quod erat semper Deus, ac fortis permaneret, modo divinitatis suae, modo humanitatis his quos erudire cupiebat indicia dedisse, sed digna fide, spe et charitate agamus illi gratias, quia qui magnus erat et laudabilis nimis, sed nos non cognoscebamus: *Parvulus natus est nobis*, ut crescendo et proficiendo inter parvulos, paulatim eos ad capessenda suae virtutis ac magnitudinis arcana proveheret.

678 *Et dixit mater eius ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus et ego dolentes quaerebamus te. Et ait ad illos: Quid est quod me quaerebatis? Nesciebatis quia in his quae Patris mei sunt oportet me esse? Non Ioseph qui nihil in eius generatione praeter ministerium praestitit et affectum, unde et pro fideli ministerio et ab Evangelista et ab ipsa Maria pater appellatur: vel ipse Christus suum negat esse parentem, sed simpliciter et aperte qui sit verus sibi Pater, nobis pariter et illis insinuat. Non quod eum quasi filium quaerunt, vituperat, sed quod ei potius cui aeternus est filius debeat, cogit oculos mentis attollere. Quia enim Deus et homo est, nunc excelsa deitatis, nunc infima praefert humanae fragilitatis. Quasi homo seniores interrogat, quasi Deus quae seniores et docti mirentur, respondet. Quasi Dei filius in templo Dei commoratur, et quasi filius hominis cum parentibus quo iubent regreditur.*

679 *Et ipsi non intellexerunt verbum, quod*

locutus est ad illos. Et descendit cum illis, et venit Nazareth, et erat subditus illis. Quantum pietatis simul in Domino et humilitatis exemplum? Parentes eius non intelligunt verbum quod de sua divinitate loquitur ad illos, et tamen ipse humanae illorum erga eum sedulitatis non ingratus, quo praecipunt, descendit, et subditur illis. Quid enim magister virtutis, nisi officium pietatis impleret? Quid inter nos aliud, quam quod a nobis agi vellet, ageret? Deferebat homini, deferebat ancillae. Ipsa enim dicit: *Ecco ancilla Domini.* Deferebat simulato patri, deferebat Deo vero Patri. Et utique matrem natus virginem conservarat et castam, utique a Patre, non voluntate, non opere, non tempore distabat. Ut eius videlicet exemplis admoniti, quid parentibus debeamus, qui tanta pro nobis patientur agnoscamus. Solent autem dicere Arriani imperfectum esse filium, quia dixerit *Pater maior me est.* Sed quid mirum si ex humana susceptione minorem se patre asserit in coelo, ex qua subditus erat etiam parentibus in terra?

Et mater eius conservabat omnia verba haec in corde suo. Sive quae intellexit, seu quae necdum intelligere verba Evangelii potuit, omnia suo pariter in corde quasi ruminanda, et diligentius scrutanda recondebat. Discamus ergo sanctae Virginis in omnibus castitatem, quae non minus ore pudica quam corpore, argumenta fidei conservabat in corde. Et si illa ante praecepta Apostolica tacet, cur tu post Apostolica praecepta magis cupis docere quam discere?

Et Iesus proficiebat sapientia, et aetate, et gratia apud Deum et homines. Hic locus Manichaeos pariter et Apollinaristas expugnat, ostendens Dominum veram carnem, veram habere et animam. Nam sicut carnis est aetate, sic est ani-

mae sapientia proficere et gratia. Quae tamen in sapientia nullatenus, proficeret, si naturalem intelligentiam quae hominibus rationis causa concessa est, non haberet. Non quia hoc susceptor Deus eguit, praesertim cum supra plenus sapientia, puer fuisse describatur, sed quia hoc pro remedio nostrae salutis effectus piae susceptionis elegit, ut dum caro et anima rationalis a Deo suscipitur, utraque pariter salvaretur.

Varia de Epiphania, ex Benedicto XIV.
(DE FESTIS DOMI, LIB. I, CAP. 2, N. 32, 33).

XXXII.

682 ECCLESIA, quemadmodum supra docuimus, in Epiphaniae Festo, Magorum adorationem, Christi Baptismum, et aquam in vinum conversam solemnitate celebrare commemorat. Verum magna quaedam restat adhuc diuicanda controversia de tempore quo haec gesta fuerint, et utrum etsi non eodem anno, eodem tamen anni die postridie nonas Ianuarii tria illa perpetrata fuerint miracula. In hac dilectissimi celebritate (verba sunt S. Maximi, Ser. de Epiphania) sicut relatu paterna traditionis instruiamur, multiplici est Festivitate laudandus: servat enim Christum hodie vel stella duce a Gentibus fuisse adoratum, vel invitatum ad nuptias aquam vertisse in vinum, vel suscepto a Iovine Baptismate Iordanis fluenta conseruisse. Sed quid potissimum praesenti hoc factum sit die noverit ipse, qui fecit.

683 XXXIII. Christum postridie Nonas Ianuarii Ioanne Baptismo suscepisse, vetus est Ecclesiae traditio; nec quisquam est, qui aliter sentiat, uno Epiphaniae excepto, cui ne severiores quidem Critici assentiuntur, qui alioqui sententia ab omnium opinione remotis mirifice delectantur: Quod vero ad mensum et diem, quibus baptismus est Christus, spectat, id factum esse sexta Ianuarii ex communis et antiquae traditione Eusebii Pamphili ad Marimum scribens testatur. Confirmat hoc ipsum Hieronymus ac denique omnes Scriptores Ecclesiastici, uno dumtaxat excepto Epiphania, ut vidimus; qui sicut audiendus non est, dum ait Christum natum sexta Ianuarii, da nec cum die baptismum esse sexto Idus Novembris: nec et eidem contradicant Aegyptii, licet de die Natalis Domini aequo ipsi consentiant. Haec Baron. ad annum Christi 31, n. 18. Et cum eo consentiunt Tillemontius, Not. 16, ad

I. Chr. Vitam; Gravesonis de Myster. et ann. Christi, pag. 217; Serry, Exercitat. 45, num. 5; Honoratus a S. Maria tom. 2, Animadversionum ad Criticam Regulas, lib. 3, Dissert. 4, pag. 277; Sandius, Histor. Sacrae Familiae, de Christo Domino, pag. 79; Patavinac editionis; Card. Gottus de Veritate Christ. Relig. l. 4, par. 1, c. 17, § 2, n. 17. Nuperime vero Bernardus Lamy in apparatu, pag. 207, § 3; Epiphaniae sententiae assentiendum sibi persuasit. Igitur cum non omnino videatur repudianda opinio S. Epiphaniae, et nulla concurrant, quibus coniecturam faciam, non multo post dies festos Expiationis, et Tabernaculorum collatum Baptismum Christo a Iovine infrequenti populi Iudaici concursu, alio statuerem pro die huius Baptismi diem octavam Novembris, quoniam dies aliqua statuenda sit. Verum, quod notat Gravesonus, loco allato, Patris Lamy sententia non magno plausu excepta est. Praeterea cum ab aetate usque Ambrosii in Mediolanensi Ecclesia Christi Baptisma, et etiamnum ab Ecclesia Graeca, ut videre est apud Galesinium in not. ad Martyrol., pag. 12, sexta Ianuarii die celebraretur, magnum inde robur ad sententiam illam accedit, quae statuit Christum sexta Ianuarii die Baptismum suscepisse.

FERIA TERTIA

Homilia S. Bonaventurae Episcopi.
COMM. IN EVANG. LUC. C. 2.

684 QUANTUM autem ad proprium instinctum etiam divino cultui vacabat puer Iesus; quantum ad quem subditur: *Et cum factus esset annorum duodecim*; in quo ostenditur, quod puer Iesus divino cultui vacabat sine parentum consortio, sine consilio, sine complaceo. — Sine consortio quidem; licet enim cum consortio parentum ascenderit, tamen sine eis remansit; propter quod dicitur: *Ascendentibus illis Ierusalem secundum consuetudinem diei festi*, scilicet ad orandum, sicut infra decimo octavo: " Duo homines ascendebant in templum, ut orarent "; et Actuum tertio: " Petrus et Ioannes ascendebant in templum ", etc.

Consummatisque diebus, cum redirent, 685

scilicet ad propria, secundum illud Iudith decimo sexto: *Celebrata festivitate, " unusquisque rediit in sua "*. Et cum omnes redirent, non tamen Iesus; unde et subditur: *Remansit puer Iesus in Ierusalem*, et ita solus, sine parentum consortio. — Huius figura praecessit in ptero Samuele, de quo dicitur primi Regum secundo, quod " Elcana abiit ", pater eius, et mater abiit " in domum suam; puer autem ministrabat coram Domino ". Unde solus remanserat, ut melius orationi vacaret; Threnorum tertio: " Sedebit solitarius et tacebit ". Et ita remansit proprio instinctu sine parentum consortio.

686 Remansit etiam sine consilio; unde et subditur: *Et non cognoverunt parentes eius*. Cuius figura praecessit in Samone, " qui noluit patri et matri indicare, quod mel de ore leonis assumpserat ", Iudicum decimo quarto. In quo etiam praebuit exemplum, quod in divino obsequio faciendo non est a parentibus carnalium consilium requirendum; Deuteronomii trigesimo tertio: " Qui dixerit patri suo et matri: Nescio vos; et fratribus: Ignoro illos; hi custodierunt cloquium tuum et pactum tuum servaverunt ". 687

Et ne putes, quod ista ignorantia fuerit ex negligentia, propter quam esset reprehensibilis Maria, subdit causam: *Existimantes autem, illum esse in comitatu, venerunt iter diei*; quia, cum viri irent cum viris, et mulieres cum mulieribus seorsum; probabile erat patri, quod puer esset cum matre, et probabile matri, quod esset cum patre. Et ideo fuerunt decepti. Non erat de genere illorum, de quibus dicitur Iob vigesimo primo: " Semen eorum permanet coram eis, propinquorum turba et nepotum in conspectu eorum ", sed erat, sicut ille, de quo in Psalmo: " Considerabam ad dex-

teram et videbam, et non erat qui cognosceret me ". Et sic remansit sine parentum consilio.

Remansit etiam sine complaceo, quia cum dolore quaerebant, quem amiserant; unde subditur: *Et requirebant cum inter cognatos et notos*; et tamen non invenerunt, quia tales elongantur ab ipso; Iob decimo nono: " Noti mei quasi alieni recesserunt a me ".

Et ideo sequitur: *Et non invenientes eum, reversi sunt in Ierusalem*, ut quem non poterant invenire in consortio cognationis invenire in loco orationis, secundum illud Psalmi: " Ecce, audivimus eum in Ephrata "; et post: " Introibimus in tabernaculum eius ". *Reversi sunt*, inquam, *requirentes eum*; secundum illud Canticum tertio: " Surgam et circueo civitatem, quae ram quem diligit anima mea; ita dicebat virgo Maria; et iterum Canticum quinto: " Quaesivi, et non inveni illum; vocavi, et non respondit mihi "; " Adiuvo vos, filiae Ierusalem, ut, si inveneritis dilectum meum, nuntietis ei, quia amore languo ".

690 In hoc autem admonemur, ut ab ipsa infantia divino cultui mancipemur; primi Regum secundo: " Samuel ministrabat ante faciem Domini, puer accinctus ephod lineo "; et maxime ab anno duodecimo, quia tunc incipit tempus discretionis convertendae ad bonum. Unde de sancto Martino dicitur, quod " cum esset annorum duodecim, eremum concupivit "; similiter dicitur de beato Benedicto. Ideo Evangelista hanc aetatem exprimit. — Admonemur etiam, ut nullatenus propter amorem parentum divinum cultum intermittamus; unde Hieronymus: " Per calcatum perge patrem, per calcatum perge matrem et ad vexillum crucis advola. Summum enim pietatis genus est, in his crudelem esse "; dicitur enim Mat-

thaei decimo: " Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus „

691 *Et factum est post triduum*, etc. Supra ostendit Evangelista, qualiter Christus Dominus factus est sub lege morali quantum ad cultum divinae maiestatis; hic secundo ostendit, qualiter factus est sub eadem quantum ad *studium veritatis*; in quo primo describit Evangelista eius *humiliationem* in assumendo *discipuli formam*; secundo vero, eius *clarificationem* in aperiendo *sapientiae praerogativam*, ibi: *Stupebant autem*, etc.

692 Formam autem *discipuli* ostendit Salvatorem assumpsisse, cum dicitur: *Et factum est, post triduum invenerunt eum in templo sedentem*. *Sessio* designat quietem et humilitatem; sciebat enim, quod " melius est sedere in angulo domatis quam cum muliere litigiosa et in domo communi „ Proverbiorum vigesimo primo. *Sedentem*, inquam, *in medio doctorum*; Ecclesiastici decimo quinto: " In medio Ecclesiae aperuit os eius, et implevit cum spiritu sapientiae et intellectus „ Sciebat enim scriptum esse: " Qui ad sapientes graditur sapientior erit, amicus stultorum efficietur similis „ Proverbiorum decimo tertio. — Et in hoc docet consortium studentium diligendum, non ad litigandum, sed ad confendum; propter quod subditur: *Audientem illos et interrogantem*. Hoc enim est exercitium addiscens, ut audiat et interroget de dubiis; Ecclesiastici trigesimo secundo: " Audi tacens, et pro reverentia accedit tibi gratia bona „ quia " auris bona cum omni concupiscentia audit sapientiam „ Ecclesiastici tertio; et ideo dicitur Ioannis octavo: " Qui ex Deo est verba Dei audit „ Quia non sufficit audire, ideo subditur: *Et interrogantem*; Iob octavo: " Interroga generationem pristinam, et dili-

genter investiga patrum memoriam „; et Deuteronomii trigesimo secundo: " Interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi „, etc. Interrogabat autem, non ut doceretur, sed magis ut doceret. Hieronymus: " Duodecim annos Salvator impleverat, et in templo sacerdotes interrogans, magis docet, dum prudenter interrogat „.

In hoc autem *spiritualiter* est notandum, quod Christus docet nos, quod ante debemus discere quam docere, secundum illud Ecclesiastici decimo octavo: " Antequam loquaris, discite „. Et ideo voluit *in medio doctorum* inveniri et in *temple*, quia in Scripturarum lectione et in oratione veritas invenitur.

Unde nota, quod Christus inventus est in *praesepio*; supra eodem: " Hoc vobis signum „; id est in *studio sacrae Scripturae*, quia, secundum quod dicitur Proverbiorum decimo quarto, " ubi non sunt boves, praesepe vacuum est „. *Boves* sunt praedicatores; primae ad Corinthios nono: " Non alligabis os bovi trituranti „, etc. — Inventus est in *domo*; Matthaei secundo: " Intrans domum „; id est in *scrutinio conscientiae quietae*; Sapientiae octavo: " Intrans domum meam, conquiescam cum illa „. — Inventus est etiam in *temple*, sicut hic, id est in *consortio sanctae Ecclesiae*, quia " Dominus in templo sancto suo „, ut dicitur in Psalmo. — Non autem invenitur in *monumento doctrinae erroneae*; Lucae ultimo: Mulieres " venerunt ad monumentum et non invenerunt corpus Iesu „; nec etiam in *lectulo conscientiae inquietae*; Canticorum tertio: " In lectulo meo quaesivi quem diligit anima mea, quaesivi illum et non inveni „; nec invenitur in *consortio vitae mundanae*; Iob vigesimo octavo: " Sapientia vero, ubi invenitur? „ et post: Non invenitur in terra suaviter viventium „.

695 *Stupebant autem*, etc. Hic post *humiliationem* subiungit *clarificationem*, cum dicitur: *Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, super prudentia et responsis eius*; pro eo quod prudentissime respondebat, supra aestimationem. *Stupor* est enim ex insolita et magna imaginatione; infra quinto: " Stupor apprehendit omnes „; Iob duodecimo: " Adducit consiliarios in stultum finem et iudices in stuporem „. Et sic impletum est illud Sapientiae octavo: " Habebo propter hanc claritatem ad turbas et honorem apud seniores juvenis; acutus inveniar in iudicio et in conspectu potentium admirabilis ero, facies principum mirabuntur me „. Hoc in Christo impletum est nunc. — Huius *figura* praecessit tertii Regum decimo, ubi dicitur, quod " videns regina Saba sapientiam Salomonis, non habebat ultra spiritum „, propter nimiam admirationem.

696 Et non solum illi *extranei* stupebant, sed etiam *parentes*; unde et subditur: *Et videntes admirati sunt*; Matthaei septimo: " Miratae sunt turbae super doctrina eius „. Et vere mirabile, quod respondebat quod non didicerat; Ioannis septimo: " Mirabantur Iudaei dicentes: Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit? „

697 *Et dixit Mater eius*, etc. Hic tertio ostendit, qualiter factus est sub lege morali quantum ad *officium pietatis*; in quo praemittitur primo *humiliatio*, et subditur *clarificatio*, ibi: *Et Mater eius conservabat omnia verba haec*.

698 *Humiliatio* autem ostenditur in duobus, scilicet in *subiucendo corripienti* et in *obsequendo praecipienti*. *Subiecit* enim se Christus *matri corripienti*; propter quod dicitur: *Et dixit Mater eius ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic? Ipsa* fidentialius loquitur et interrogat causam dimissionis, cum sciat, se honorari de-

bere ab eo, secundum illud Exodi vigesimo: " Honora patrem tuum et matrem tuam „; et Proverbiorum sexto: " Conserva, fili, praecepta patris tui, et ne dimittas legem matris tuae „. Sed tu, inquit, conturbasti nos; unde et subdit: *Pater tuus*, scilicet putativus vel adoptivus sive educativus; et *ego dolentes quaerebamus te*, quasi insimul dicebamus illud Tobiae decimo: " Heu me, fili, ut quid te misimus peregrinari, lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis nostrae, solatium vitae nostrae! Omnia enim in te uno habentes, te non debui- mus dimittere „.

Et nota, quod ad quaestionem respondet humiliter et sapienter; unde et subditur: *Et ait ad illos: Quid est, quod me quaerebatis?* quasi absentem, cum ego essem vobis praesens: Ieremiae vigesimo tertio: " Coelum et terram ego impleo „; et hoc ostendit, quia Filius erat aeterni Patris. Unde et subdit: *Nesciebatis, quia in his quae Patris mei sunt, oportet me esse?* Ioannis sexto: " Descendi de coelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me „. Unde non debetis mirari, si vos dimisi propter Patrem aeternum, quia sic dicitur Actuum quinto: " Obedire Deo oportet magis quam hominibus „.

Et quia verbum erat occultum, subditur: *Et ipsi non intellexerunt*; primae ad Corinthios secundo: " Sapientiam loquimur in mysterio absconditam „; et Tobiae duodecimo: " Sacramentum regis abscondere bonum est „. — In hoc autem, quod Christus, cum correptus est, se humiliter excusavit; et cum invitatus est a Matre, ut miraculum faceret, respondit dure; dedit nobis exemplum et formam humilitatis, ut malimus corripri quam laudari; Ecclesiastae septimo: " Melius est a sapiente corripri, quam stultorum adulatione decipi „.

Simul etiam cum hoc insinuavit, quod pietas ad Deum praefenda est pietati respectu parentum.

701 *Subiacuit etiam Dominus praecipienti;* propter quod subditur: *Et descendit cum eis et venit Nazareth.* Modo impletum est illud Baruch tertio: "Post haec in terris visus est et cum hominibus conversatus est." *Descendit*, inquam, quod est signum humilitatis; Canticorum sexto: "Descendi in hortum meum, ut viderem poma convallium", id est humiles. "Quia excelsus Dominus et humilia respicit", scilicet de propinquo, "et alta a longe cognoscit". Propter quod et subditur: *Et erat subditus illis.* Bernardus: "Quis? quibus? Deus hominibus. Deus, inquam, se hominibus subdit; et tu dominari gestiens, tuo te praepone auctori? Quoties enim hominibus praeesse desidero, toties Deum meum praerire contendo, ut tale mihi aliquid Dominus respondeat: *Vade post me, satana, quia non sapis quae Dei sunt.*" Unde vere poterat ipse dicere illud primae ad Corinthios nono: "Cum essem liber ex omnibus, omnium me servum feci". Et nos omnibus amore ipsius debemus esse subiecti; primae Petri secundo: "Subiecti estote omni humanae creaturae propter Deum".

702 *Et Mater eius,* etc. Hic describitur eius clarificatio, et hoc per duo, scilicet per *Matris testimonium* et per *propriae virtutis indicium.* Quantum ad *Matris testimonium* dicitur: *Et Mater eius conservabat omnia verba haec,* ut pro loco et tempore testimonium perhiberet, sicut dicit Beda in Glossa. Sic dictum est Danielis duodecimo: "Tu autem, Daniel, claudere librum et signa sermones usque ad tempus statutum". Et quia haec intelligebat, ideo dicitur: *Conferens in corde suo,* secundum illud Ecclesiastae octavo: "Tempus et responsonem cor sapien-

tis intelligit"; et Marci nono dicitur de transfiguratione Domini, quod "discipuli continuerunt verbum apud se". Nondum enim venerant Apostoli, quibus "datum erat nosse mysterium regni Dei", sicut dicitur Matthaei decimo tertio, qui etiam invicem conferrent, secundum illud ad Galatas secundo: "Contuli cum illis Evangelium, quod praedico in gentibus".

703 Quantum autem ad *propriae virtutis indicium* subditur: *Et Iesus proficiebat aetate,* scilicet ex parte corporis, sicut Samuel; primi Regum secundo: "Puer Samuel proficiebat atque crescebat et placebat tam Deo quam hominibus". Et iste profectus erat secundum *essentiam*, sed interior profectus erat secundum *evidentiam*, de quo dicitur: *Et sapientia,* scilicet in intellectu, *et gratia,* in affectu, *apud Deum,* scilicet honorandum, *et homines,* aedificandos. Nec est contrarium ei quod dicitur supra proximo, quod erat "plenus sapientia"; unde Gregorius: "Proficiebat sapientia, non per accessum temporis accipiendo quod non habebat, sed dona gratiae et sapientiae, quae habebat, ceteris pandendo"; et hoc ad aedificationem aliorum; secundae ad Corinthios octavo: "Providemus bona, non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus". Unde ad nostram aedificationem sapientiam ad tempus abscondit, ut ostendat, quod nos debemus tacere usque ad tempus, secundum illud Ecclesiastici vigesimo: "Est tacens, non habens sensum loquelaе, et est tacens, sciens tempus apti temporis. Homo sapiens tacebit usque ad tempus". Pro tempore etiam ad nostram salutem ostendit, secundum illud Ecclesiastici quarto: "Ne retineas verbum in tempore salutaris". Unde, quia non quaerebat gloriam suam, sed Dei, non suum commodum, sed nostram salutem; ideo coram

Deo et hominibus gratiam inveniebat. Primum erat *iustitiae,* secundum *miseri cordiae;* propter quod Proverbiorum tertio: "Misericordia et veritas non te deserant, et invenies gratiam et disciplinam bonam coram Deo et hominibus".

704 Ex praedictis igitur colligere possumus, qualiter intendere debemus *cultui divinae Maiestatis, studio veritatis et obsequio pietatis.* Nam *cultus divinae Maiestatis* praecurari debet ab infantia, praeferi debet ceteris pro reverentia divina. *Studium veritatis* debet esse cum debita societate, scilicet peritorum, et debito ordine, ut prius sit discipulus quam magister. *Obsequium pietatis* attenditur in hoc, quod *subiciamur patri spirituali, sive corripienti, sive praecipienti.* Et si haec servamus, tunc sequitur illud quod ultimo ponitur, quod *proficimus apud Deum et homines.*

Varia de Epiphania, ex Benedicto XIV.
(DE FESTIS DOM., LIB. I, CAP. 2, N. 9).

IX.

705 **D**e Magorum vero qualitate duo dispienda sunt. Primum, quid Magorum nomine Mattheus sibi voluerit; secundum, num Reges fuerint, de quo nihil a Mattheo traditum est. Quidam ex Patribus putant, eos Astrologiam iudicariam, alii vero Magiam naturalem esse professos. Verosimilius tamen est, Philosophos fuisse astrorum scientia peritos. *Gens quae spectandorum siderum arte pollebat,* inquit S. Leo, Serm. 4 de Epiphania, viros nimium scientia illustres, veri Numinis cultores, qui quemadmodum Iob, eiusque amici, Legis scriptae ritumque Iudaicorum ignari, Deum rerum omnium arbitrum nihilominus venerabantur, illumque Dominatorem expectabant, quem Balaamus venturum praedixerat: et huiusmodi viros S. Mattheum Magorum nomine significasse accurate probat Calmet in saepe laudata Dissert. praeter Rhodien, Dissert. De primis Salvatoris Veneratoribus Magis, in Thesaurio Dissert. in Nov. Testam., Amstelodami ann. 1792 edito, tom. 1, pag. 69, § 2. Quod vero ad Regiam eorum dignitatem attinet, idem Calmet declarat, se omnem operam in ea re

disquirenda collocaturum fuisse, si Ecclesiae illud interesse quidquam arbitratus esset. Sed cum neque in sacris litteris, nec apud Patres quidemquam ea de re expressum habeamus, nihilque ab Ecclesia definitum sit, unicuique permittit, quae sibi liberit, sequi opinionem, concluditque regiam hanc dignitatem nullo nisi solido fundamento. Gravesonus, de Mysteriis et ann. Chr., dissertat. 8 pag. 172 aperte declarat utriusque opinionis probabilitati se nihil imminutum velle. Alii vero strenue propugnant, Magos nunquam regia dignitate insignitos; tum quia S. Mattheus, ne de nascentis Christi gloria quidquam detractum esset, profecto de eiusmodi dignitate nunquam siluisset, nec solo Magorum sapientumve vocabulo usus esset; tum quia sacer textus Reguli qualitate non praetermisit, ubi narrat eius filium a Christo Domino esse sanatum. Huc etiam accedit, Herodem ita cum iis colloquutum esse, ut appareat Magos inferioris fuisse ordinis: *Ite, et interrogate diligenter de puero; et cum inveneritis renuntiate mihi:* quia quidem forma et ratione loquendi nunquam usurus fuisset cum Regibus. Neque vero Herodes tam facile passus esset, tres Reges in suum ipsius regnum ingredi; neque ipsi eo se contulissent, quin Herodi prius Legatos suos praemisissent: nec denique Herodes tam sero rescivisset, cum Bethlehmem non plus quam sex passuum millia distaret ab Ierosolymis, se a Magis irrisum, qui adversus id quod promiserant, declinato Regis conspectu, Iudaea abierant.

FERIA QUARTA

Homilia S. Bonaventurae Episcopi.
DOM. INFRA OCT. EPIPH., SERMO 3.

Post triduum invenierunt illum in templo sedentem in medio doctorum, Lucae secundo.

707 Spiritualiter in verbis his ponuntur tres circumstantiae, per quas homo devenit in notitiam alterius hominis boni vel mali, et tres viae, per quas homo venit in notitiam Salvatoris sive in inventionem ipsius. Prima est *commoditas temporis* ad inveniendum, quia, *Post triduum invenierunt;* secunda est *conditio* seu sanctitas loci ad ipsum habendum, quia, *in templo;* tertia est *honestas contubernii* ad conveniendum, quia, *in medio*

doctorum. Temporis commoditas arguit diffidentes, negligentes, lucem odientes; loci sanctitas arguit curias et tabernas appetentes; contubernii honestas arguit infames personas imitantes et sociantes.

708 Sciendum ergo, quod qui vult invenire Christum Iesum oportet, quod quaerat eum per triduum *contritionis simplicis, confessionis humilis et satisfactionis virilis*, et inveniet eum in quarto, *dilectionis dulcis*. — Non enim invenitur nisi a *viventibus simpliciter*; simplices enim et innocentes invenerunt eum cum *parentibus* in praesepio; Lucae secundo: *Et venerunt festinantes et invenerunt Mariam et Ioseph et Infantem positum in praesepio*; Sapientiae primo: *In simplicitate cordis quaerite illum, quoniam invenitur ab his qui non tentant illum*. — A *poenitentibus humiliter*; poenitentes et dolentes invenerunt eum cum *parentibus* in templo, Lucae secundo; Ecclesiastici decimo octavo: *Ante languorem adhibe medicinam et ante iudicium interroga te ipsum, et in conspectu Dei invenies propitiationem*. — A *sustinentibus viriliter*; sustinentes et viriles inveniunt eum cum *regibus* in gremio Matris, Matthaei secundo; Iob vigesimo tertio: *Quis mihi tribuat, ut cognoscam et inveniam illum et veniam usque ad solium eius?* — A *diligentibus dulciter*; amantes sive diligentes inveniunt eum cum *sponsa* et sodalibus secreto colloquio, Canticorum tertio; Proverbiorum octavo: *Ego diligentes me diligo, et qui mane vigiliant ad me inveniunt me*.

709 Invenitur vero Christus ab *innocentibus* sive simpliciter viventibus post triduum *intentionis puritatis, affectionis sanctitatis, devotionis teneritudinis*, quod triduum significatum est in illo triduo reaedificationis templi, id est restitutionis innocentiae; Ioannis secundo: *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud*.

Invenitur etiam Christus ab humiliter *poenitentibus* post triduum *generalis contritionis, integralis confessionis, celeris satisfactionis*, quod triduum significatum est per illud Ionae tertio, secundum Septuaginta: *Adhuc tres dies, et Ninive subvertetur*.

714 Invenitur etiam Christus a *sustinentibus* sive virilibus post triduum, quod quidem est *aggredi confidenter* in principio, *sustinere patienter* in medio, *perseverare finaliter* in termino, quod triduum significatum est per illud Marci octavo: *Miserereor super turbam, quia, ecce, iam triduo sustinent me nec habent quod manducent*.

Invenitur tandem post praefatum triduum triplex in statu spiritualiter seu dulciter *amantium*, qui etiam tunc sciunt, quid sit invenisse Christum post triduum, quando habent *meditationes* sursum activas ad amorem Patriae, *affectiones* transformativas ad compassionem Christi poenae, *speculationes* refrigerativas ad conciliationem status innocentiae; quod quidem triduum est, in quo homo post aliud praemissum tripliciter triduum excipitur. Significatum est per illud triduum, Actuum vigesimo octavo, ubi dicitur, quod princeps Publius Paulum et socios in insula sua post multam navigationem recepit et *benigne triduo exhibuit*.

Invenitur Iesus quantum ad *societatem* quadrupliciter: in medio *inmentorum* iacens ut reconciliator ad pacificandum; Habacuc tertio, secundum Septuaginta: *In medio duorum animalium innotesceris*. — In medio *doctorum* sedens ut lampas ad irradiandum; Lucae secundo, sicut habebatur hic: *Invenerunt illum in templo*, etc. — In medio *latronum* pendens ut pugil ad expugnandum; Ioannis decimo nono: *Crucifixerunt eum et cum eo alios duos hinc et hinc, medium autem Iesum*.

— In medio *discipulorum* stans ut turris ad corroborandum; Ioannis vigesimo: *Venit Iesus et stetit in medio*, etc.

Varia de Epiphania, ex Benedicto XIV.
(DE FESTIS DOMI, LIB. I, CAP. 2, N. 10.)

X.

714 Duo autem in hac controversia sunt praemittenda: Primum, eos, qui Magos Reges fuisse putant, non id esse articulum Fidei, quod Theodorus Beza ioculare in modum perperam Catholicis exprobravit, sed dumtaxat opinionem valde probabilem esse contendere. Monuit id loco citat. Maldonatus: *Proterquamquod Ecclesia, Magos fuisse Reges non certa et Catholica Fide, sed probabili opinione credit. Licet enim Christiano Poetae Patrum nostrorum memoria salva religione dicere (Ioannem Baptistam Mantuanum intelligit): nec Reges ut opinari erant, Licet multis nostro tempore Catholicis, et eruditis Theologis idem dicere, suamque opinionem, non ut ille (Beza) risu, sed magis argumentis confirmare. Lamy quidem Harm. Evangel., lib. I, cap. II, eorum sententiam sequitur, qui Magos negant regia fuisse praeditos dignitate, nec quisquam est, qui ea de re illum criminetur. Eidem sententiae suffragatur, qui veteres imagines et vetustis Romae coemeteriis erutas typis editas Romae exhibuit ann. 1737, tom. I, in explicit. Tabulae 38. Alterum quod praemittimus est, eos, qui Magos fuisse Reges tuentur, non alios Regum nomine intelligere, quam quos scriptura cuiuspiam vel exigui oppidi Dynastas appellare Reges solet. Hos igitur fuisse Reges, inquit Baron. ad ann. Chr., I, n. 30, dixerimus usitato more Divinae Scripturae, quae cuiusque Oppidi Dominum Regem appellare consuevit, ut patet de quinque Regibus, quos Abraham armatis suis venientibus debellavit. Idem sentit Natal. Alexand., H. Eccl., sec. I, cap. I, art. 4: *Viros lunon potentes et divites, Toparchas forte, vel Dynastas fuisse probabile est; cui consentit doctus Auctor Adnotationum ad Historiam Vitae, Doctrinae, et Miraculorum Iesu Christi, Urbini editam ann. 1730, cap. 7, lit. C: Multi interpretum Regiam illis tribuant dignitatem; sed ex toto Evangelii contextu nil amplius videtur extendi posse, quam quod iis esset magna apud suos populares auctoritas. Bene etiam Greterus, tom. V, Operum suorum nuperime edit. Ratisbonae, lib. I, de Festis, cap. 30: *Addo quod Regum nomen magnum latitudinem habet, etc. Neque enim necesse est, ut omnes, qui vel fuere, vel appellantur Reges, sint laici, quoniam Rex***

Hispaniae, et Galliae. Patet Scripturae phrasim maxime in libro Iosue, ubi Regis nomen illis tribuitur, qui hodie vix Principis nomenclaturam tuari possent.

FERIA QUINTA

Homilia S. Thomae a Villanova.
IN DOM. INFRA OCT. EPIPH. CONCIO.

715 **C**UM factus esset amorum duodecim, ascendentibus illis Ierosolymam, secundum consuetudinem *diei festi, consummatisque diebus, cum redirent, remansit puer Iesus in Ierusalem*. Nota duo. Quomodo perditur Iesus. Quomodo reperitur Iesus. De primo. In festo perditus est Iesus. Dum Mater in exilio Aegypti est, non perditur, et perditur in festo. Die: quomodo in tribulationibus custoditur, et in prosperitatibus perditur. Die: quomodo hoc, quod omnis lex prohibet, festo licere putatur. Tunc fiunt dissolutiones. Licet festo crucifigere Iesum. Tunc maxime deberet sanctificari; et fit oppositum. Psalmus: *Tempus faciendi, Domine*. Secundo. Quomodo reperitur. Psalmus: *In toto corde meo exquisivi te*. Et iterum: *Deum exquisivi manibus meis nocte*. Corde, et manibus, operibus. Si quaeritis, quaerite. Quid decipitis vos? In Canticis capite quinto: Deus pulsat: non aperitur statim; declinat. Sequitur: *Vocavi eum, et non respondit mihi*. Aperiamus confestim, fratres, ne claudatur ianu. *Existimantes illum esse in comitatu*. O quot sunt hodie, qui putant secum ire Christum in via vitae praesentis; securi de sua iustitia praesumentes; qui, quando venerit nox mortis, nox illa extrema reperient Iesum non esse in comitatu! O quam misera mors, quando Iesus in vita non est in comitatu! Sunt, qui dicunt se nosse Deum, sed moribus contradicunt, factis negant. Dices: De dolore

maximo Virginis, quando amiserat Iesum, et de gaudio, quando reperit; devote. *Et factum est post triduum invenirent illum.* Mater tribus diebus reperit. David post peccatum, tribus syllabis: Peccavi. Nam iustus diu potest quaerere, quem ardentem desiderat. Peccator, si non statim adsit recedit. *Post triduum* reperitur Iesus. Triduum poenitentiae, scilicet, dolorem, confessionem, et satisfactionem. Nota etiam qualiter Christus se habuit illis tribus diebus. Quomodo hospitabatur, et ubi comedeat, et apud quos remansit: an petebat elemosynas? *Sedentem in medio Doctorum, audientem illos et interrogantem.* Lectio multum iuvat, multum illuminat. *Et dixit Mater eius ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic?* Bernardus: Deum et Dominum Angelorum, Maria audacter appellat Filium suum, dicens: *Fili, quid fecisti nobis sic?* Quis hoc audeat Angelorum? Sufficit eis, et pro magno habent, quod, cum sint Spiritus ex conditione, ex gratia facti sunt, et vocati Angeli; testante David: *Qui facit, inquit, Angelos suos Spiritus.* Maria vero Matrem se agnoscens, Maiestatem illam, cui illi cum reverentia serviunt, cum fiducia suum nuncupat filium.

716 *Dolentes quaerebamus te.* Iuste dolentes. Magna perditio perdere Salvatorem. Dolebat Virgo, quoniam totum coelestem thesaurum Divinitatis et Maiestatem amiserat. O quot hodie sunt, qui perdunt Iesum, nec dolent! Perdunt ducatum, et dolent; perdunt vitam, et non sentiunt. Pro levi voluptate, pro uno iudicio falso, etc. Sed tu, Domine, pius et misericors, peccatoribus te obiscis, facis invenirendus, quoniam non est in eis ardor investigandi. *Et erat subditus illis.* Bernardus: Quis? Quibus? Deus, hominibus, Deus, inquam, cui Angeli subditi sunt. Cui Principatus, et Pote-

states obediunt, subditus erat Mariae. Nec tantum Mariae, sed etiam Ioseph propter Mariam. Mirare hic utrumlibet; et elige, quid amplius mireris, sive Filii benignissimam dignationem, sive Matris excellentissimam dignitatem. Utrunque stupor, utrinque miraculum; et quod Deus feminae obtemperet, humilitas absque exemplo, et quod Deo femina principetur, sublimitas sine socio. In laudibus Virginum singulariter canitur: Quod sequuntur *Agnum quocumque ierit.* Quibus ergo laudibus iudicas dignam, quae etiam praecit? Disce homo obedire, disce terra subdi, disce pulvis obtemperare. De Auctore tuo loquens Evangelista: *Et erat, inquit, subditus illis.* Haud dubium, quin et Mariae et Ioseph. Erubescere, superbe cinis: Deus se humiliat, et tu te exaltas? Deus se hominibus subdit, et tu dominari gestiens hominibus, tu te praepositi Auctori? Quoties enim hominibus praecesseris, toties Deum tuum praeciteris contendis; et tunc vere non sapis, quae Dei sunt. De ipso namque dictum est: *Et erat subditus illis.* Si hominis, o homo, imitari dedignaris exemplum, certe non erit tibi indignum sequi Auctorem tuum.

717 *Maria mater eius conservabat omnia verba haec in corde suo.* Dic: Quomodo conferebat Scripturas, et in se ipsa reperit impletas. Quanta dignitas! Quanta excellentia! Et non superbit. *Et Iesus proficiebat sapientia, et aetate, et gratia apud Deum et homines.* Comparatio. Sicut solis eadem est lux diluculo, mane, meridie, sed non idem calor solis; ita quoad effectum exteriorem. Erat ille alioqui perfectus; non solum iam, cum diceretur: *Propheta magnus surrexit in nobis*, sed etiam, cum tenera adhuc infantis membra Dei Mater blando vel fovaret in gremio, vel gestaret in utero. Perfectus igitur erat Iesus, necdum etiam na-

tus; sed sapientia, non aetate; animi vigore, non viribus corporis; maturitate sensuum, non corpulentia membrorum. Neque enim minus habuit sapientiae, vel potius, non minor fuit sapientia Iesus conceptus, quam natus, parvus, quam magnus: sive ergo latens in utero, sive vagiens in praesepio, sive iam grandisculus interrogans Doctores in Templo, sive iam perfectae aetatis docens in populo, aequo profecto plenus fuit Spiritu sancto. Nec te moveat, quod de illo legis: *Iesus autem proficiebat sapientia, et aetate, et gratia apud Deum et homines.* Nam, quod de sapientia et gratia hic dictum est, non secundum quod erat, sed secundum quod apparebat intelligendum est. Non quia, videlicet, aliquid ei novum accideret, quod ante non haberet, sed quod accidere videretur, quando volebat ipse ut videretur. Tu homo, cum proficis, non quando, nec quantum vis proficis, sed te nesciente, tuus moderatur profectus, tua vita disponitur. At vero puer Iesus, qui disponit tuam, ipse disponebat et suam, et quando volebat, et quibus volebat, sapiens apparebat, quando et quibus volebat, sapientior, quando et quibus volebat, sapientissimus: quamquam in se nunquam esset, nisi sapientissimus. Similiter: et cum semper omni gratia plenus fuisset, sive quam apud Deum, sive quam apud homines habere deberet, pro suo tamen arbitrio eam nunc plus, nunc minus ostentabat, prout cententium vel meritis congruere, vel saluti expedire sciebat.

Varia de Epiphania, ex Benedicto XIV.

(DE FESTIS DOM., LIB. I, CAP. 2, N. 11, 12).

XI.

718 **Q**UIBUS praenotatis, Magos Reges fuisse affirmamus. In Oriente Reges plerumque Magos fuisse testatur Tertullianus lib. adversus Iudaeos, c. 8: *Magos Reges fere habuit Oriens*; quod Plinius

et Philonis auctoritate probat etiam Cardinalis Baronius ad ann. Chr. 1, num. 20. Tillemontius id esse verum agnoscit; sed illud probandum esse ait, Magos, qui Christum adoraverunt, Regia praeditos fuisse dignitate, quae quidem non idcirco illis asseritur, quod in Oriente Reges plerumque fuerunt Magi. Serry eadem ratione utitur ad auctoritatem Paschasii Radberti IX saeculi Scriptoris declinandam, qui lib. 1, Commentar. in Matthaicum affirmat, Magos illos qui venerunt Bethlehemum ut Christum Dominum adorarent, Regia dignitate fuisse illustres. *In his regionibus ad Orientalem plagam Ierosolymorum Magos Reges existisse, nemo qui historiam legit Gentilium ignorat: quo profecto Reges eos fuisse opinamur.* Laudatus igitur Serry in Responsionibus ad Sandium, pag. 34, ita scripsit: *Ex hoc quod Gentilium historiae fidem faciant, Reges Orientales, ac maxime Chaldaeos Magos olim fuisse, hoc est Philosophos sideralis scientiae peritos, non sequitur, ut Paschasius iudicet, Magos omnes, atque illos maxime, qui Christum adoratum venerunt, Reges existisse:* idemque magna vi urget Rhoden in allata Dissertatione § 4. Nos dicimus, S. Caesarium Arelatensem Serm. 137 in Appendice Sermonum S. Augustini loqui de Magis, qui Christum adoraverunt. Illi Magi tres esse dicuntur. S. Hieronymus in Daniel. cap. 2, ubi tradidit Reges et Principes Philosophicam Magiam profiteri solitos apposite ad rem nostram haec subiicit: *Unde et in Nativitate Domini Salvatoris ipsi primum ortum eius intellexerunt, venientes in sanctum Bethlehem adoraverunt Puerum, stella eius desuper ostendente.* Consonat S. Hilarus, lib. 4 de Trinit., § 38: *Recordemur Orientis Magos adorantes Dominum, et munerantes, et laborem veniendi usque in Bethlehem Iudae tanti itineris nactiamur.* In Principum enim labore totius Aegypti labor demonstratus est. Nec Inveni, qui quarto saeculo floruit, Christiani Poetae, magneque existimationis viri, sileri potest auctoritas:

*Gens est Eoi Phoebio orto proxima Regni,
Astrorum solens ortusque oblitusque notare:
Horum Primores nomen temere Magorum.
Hinc lecti Proceres Solyum per longa viarum
Deceniunt, Regemque adant, orantque doceri,
Quae regio imperio Puerum Iudaea tenet
Progenitum, et sese stellae fulgentis ab ortha
Admonitos venisse viam, quo supplicet dextra
Exortum terris venerabile munus adorant.*

XII.

719 **O**BSERVANDUM in his carminibus, eos qui summi essent ordinis, Magos appellari: *Horum Primores nomen temere Magorum*; et ex his eos delectos, ut venirent Bethlehemum, qui inter ceteros essent praestantissimi: *Hinc lecti Proceres.*

Id autem permagnam huic opinioni pondus affert, quod in Epiphaniae Festo de Magorum adoratione Ecclesia Davidico illo utitur vaticinio Psal. 71: *Reges Arabum et Saba dona adducent*: idque a praeis temporibus. Quamquam autem textus ille aequae ac Isaiae oraculum: *Ambulabant Gentes in lumine tuo, et Reges in splendore ortus tui*, de Regibus ethnicis, barbarisque gentibus intelligantur; tamen Ecclesia, quae vaticinia illa ad Magorum adorationem accomodat, satis aperte declarat, propensiorum se ad eam sententiam esse, quae regis vocabulo eo sensu quem supra exposuimus accepto, Magis, de quibus loquimur, regiam asserit dignitatem.

FERIA SEXTA

Homilia Venerabilis Bedae Presbyteri.

HOMIL. IN DOM. I. POST EPIPH.

APERTA est nobis, fratres charissimi, sancti Evangelii lectio recitata, neque opus est ut in ea quid exponendo loquamur. Describit namque infantiam pueritiamque nostri Redemptoris, qua nostrae particeps humanitatis dignatus est fieri: commemorat aeternitatem divinae maiestatis, in qua Patri mansit, ac manet semper aequalis: ut videlicet incarnationis eius humilitatis ad memoriam revocata, et ipsi contra omnium vulnera peccatorum medicamentum verae humilitatis curemus exercere, pio semper animo recolectes quantum nos pro divino amore, quantum pro nostra salute oporteat humilari, qui terra sumus et cinis, si tantum summa illa potestas pro nobis humilari non respuit: ut ad suscipiendam nostrae fragilitatis infirma descenderet. Item audita, credita et confessa divinitate Domini Salvatoris, qua Patri et Spiritui Sancto consubstantialis semper et coaeternus perseverat, speremus nos per humanitatis eius sacramenta quibus imbuti sumus, usque ad contemplandam divinitatis eiusdem gloriam posse per-

tingere, quam ipse suis fidelibus servis fidei pietate pollicetur, dicens: *Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est qui diligit me: qui autem diligit me, diligitur a Patre meo, et ego diligam eum et manifestabo ei meipsum. Meipsum, inquit, manifestabo, id est, non qualem me omnes conspicerent, qualem etiam infideles videre possunt et crucifigere, sed qualem in decore suo regem saeculorum soli videre possunt oculi mundi Sanctorum, talem me ad rependendam vicem dilectionis his qui me diligunt, ostendam. Igitur speremus nos, ut diximus, per humanitatis eius sacramenta ad videndam divinitatis speciem posse conscendere: si tamen eadem sacramenta digno iustitiae et sanctitatis et veritatis honore, ut accepimus, illibata servemus, si humanae conversationis eius exempla, si doctrinae, quam per hominem nobis ministravit, humiliter dicta sequamur. Nam qui humilitatis eius vestigia sequi dedignatur, qua temeritate sperat se ad intuentiam claritatis eius gaudia posse penetrare? Quod ergo Dominus per omnes annos cum parentibus in Pascha Ierosolymam venit, humanae nimirum est humilitatis indicium. Hominis est namque ad offerenda Deo sacrificiorum spirituum vota concurrere, et auctorem suum orationibus lacrymisque sibi conciliare profusus. Fecit ergo Dominus inter homines homo natus, quod faciendum hominibus per Angelos imperaverat Deus. Servavit ipse legem quam dedit, ut nobis qui puri homines sumus, servandum per omnia quidquid Deus iubet, ostenderet. Sequamur igitur iter humanae conversationis eius, si *deitatis gloriam delectamur intueri, si oplamus habitare in domo eius aeterna, in coelis omnibus diebus vitae nostrae, si libeat videre voluntatem Domini, et protegi a templo sancto eius*. Et ne ulla in aeternum*

malorum aura pulsemur, meminerimus praesentis Ecclesiae domum necessariis precum mundarum frequentare muneribus. Quod ipse duodenis in templo sedit in medio doctorum audiens et interrogans illos, humanae est humilitatis indicium: imo etiam eximum discendi humilitatis exemplum.

Dei quippe virtus. Dei sapientia aeterna quae divinitus loquitur: *Ego sapientia habito in consilio, et eruditus intersum cogitationibus. Meum est consilium et aequitas, mea est prudentia, mea est fortitudo, per me reges regnant, et conditores legum iusta decernunt. Beatus homo qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidie, et observat ad postes ostii mei*. Ipsa homine induta ad audiendos homines advenire dignata est, ut nimirum hominibus, quamvis summo ingenio praeditis, necessariam discendi verbi formam praerogaret: ne si qui discipuli veritatis fieri refugerent, magistri efficerentur erroris. Et bene qui juvenis erat doctrinae subiturus officium, puerulus adhuc seniores audit et interrogat, ut videlicet eorum provida dispensatione comescat audaciam, qui non solum indocti, sed etiam impubes ad docendum prorumpere magis, quam ad discendum volunt submittere. Sequamur iter eius humanitatis, si nos mansio divinae delectat visionis, memores semper illius praecepti: *Audi, fili mi, disciplinam patris tui, et ne dimittas legem matris tuae, ut addatur gratia capiti tuo, et torques collo tuo*. Per auditum quippe disciplinae paterna legis gratia capiti nostro, et collo torques additur: quia quanto quis divinis intentus fuerit auscultare praeceptis, quanto ea quae didicerit in unitate matris Ecclesiae diligentius observare studuerit, tanto et nunc dignus ad honorem praedicandi, et in futuro sublimius ascendet ad beatitudinem

cum Christo sine fine regnandi. Verum ne quis autem Dominum Salvatorem ob imperitiae necessitatem adhaesit audisseque et interrogasse magistros, videamus quid sequitur.

Stupebant autem omnes, qui eum audiebant super prudentia et responsis eius, et videntes mirati sunt. Qui enim idem verus homo et verus erat Deus, ad ostendendum quia homo erat, homines magistros humiliter audiebat, et ad comprobandum quia Deus erat, eisdem loquentibus sublimiter respondebat. Quod matri quaerenti ac dicenti: *Fili, quid fecisti nobis sic, ecce pater tuus et ego dolentes quaerebamus te. Respondit: Et quid est quod me quaerebatis, nesciebatis quia in his quae Patris mei sunt, oportet me esse?* Divinae maiestatis indicium fuit, de qua alibi dicit: *Omnia quaecumque habet Pater, mea sunt*: atque ideo rectissime templum non minus ad se, quam ad Patrem pertinere testatur. Inventus quippe in templo dicit: *Quia in his quae Patris mei sunt, oportet me esse*; quia nimirum quorum est maiestas et gloria, horum etiam una sedes ac domus est: nec solum materialis Dei domus, quae ad adorandum eum temporaliter fieri solet, sed etiam domus intellectualis, quae ad laudandum eum in aeternum construitur, aequae Patri ac Filio, imo etiam Spiritui Sancto constat esse communis. Denique idem Filius, quid de se ac Patre dilectori suo promittit: *Veniemus ad eum, et mansionem apud eum faciemus*. Dicit de Spiritu: *Et ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis, qui apud vos manebit, et in vobis erit*. Quia videlicet eiusdem sanctae Trinitatis, cuius una atque indivisibilis natura divinitatis est, mansio in cordibus electorum dispar esse non potest. Ergo quod Dominus in templo se-

dens dicit: *In his quae Patris mei sunt oportet me esse*, declaratio est consempternae Deo Patri potestatis et gloriae. Quod autem rediens Nazareth erat subditus parentibus, humanae est veritatis indicium, simulque humilitatis exemplum. In ea namque natura subditus erat hominibus, in qua minor est Patre. Unde ipse dicit: *Vado ad Patrem, quia Pater maior me est: in qua etiam minoratus est paulo nimis ab Angelis*. In illa autem in qua ipse et Pater unum sunt, in qua non ex tempore vadit ad Patrem, sed semper in ipso est, omnia per ipsum facta sunt, et ipse est ante omnes. Cuius multum est miranda magnae dispensatio pietatis, qui dum parentes suos mysterium divinae suae maiestatis necdum capere vidisset, exhibuit eis humanae subiectionem humilitatis, ut per hanc eos paulatim ad agnitionem divinitatis institueret. Cum enim dixisset: *Quid est quod me quaerebatis, an nesciebatis quia in his quae Patris mei sunt, oportet me esse? Et ipsi non intellexerunt verbum, quod locutus est ad illos*, sicut Evangelista consequenter insinuat.

⁷²³ *Descendit cum eis, et venit Nazareth, et erat subditus illis*. Dicebat ergo arcenum suae divinae virtutis parentibus humanae suae fragilitatis, matri suae scilicet verae suae carnis, et castissimo tutori castitatis illius, qui per id temporis, necdum prolata luce evangelica, ab omnibus pene qui eos nosse poterant, carnali coniunctione vir eius, carnali administratione pater aestimabatur, simul et vocabatur ipsius Domini Salvatoris. Dicebat, inquam his: *Quia in iis quae Patris mei sunt, oportet me esse*. Qui cum arcem tanti mysterii ascendere intelligendo non possent, neque aliter eum in iis quae vere Patris eius essent, manere decernerent, nisi ut comprehendere nossent, descendit ipse cum ipsis ad

inferiora conversationis eorum, coepitque manere in his, quae illorum erant: et erat eis pia dispensatione subiectus, donec proficiente humilitatis magisterio, quantum omnibus creaturis esset praefendus, agnoscerent. Quid pro his nostra agat superbia, obsecro paucis attendamus. Certe cum ea, quae non aeternaliter novimus, sed iuvante Domino ex tempore didicimus, arcana Scripturarum, simpliciores quosque fratres, loquentibus nobis intelligere non posse sentimus, statim extolli consuescimus: eisque despectus de nostra nos quasi singulari ac per plurima eruditione iactamus, quasi non sint per plures etiam nobis multo doctiores: et qui a doctioribus nolumus despici, ipsi indoctiores nobis despiciere, imo etiam irridere gaudemus: neque reminisci curamus, quia non eis qui vel mysteria fidei, vel sui praecepta conditoris tantum meditando percipiunt: sed his potius, qui ea quae discere potuerunt, operando exercent, regni aditus patet. Insuper etiam scienti bonum facere, et non facienti, peccatum est illi. Et sicut Dominus ipse testatur: *Omni cui multum datum est, nullum quaeretur ab eo*. Ne nos ergo scientia inflet, sed charitas potius aedificet. Sequamur exemplum apparentis in homine filii Dei, qui eis, quos se ad sublimia discenda sequi necdum valere conspexit, seipsum benigna humilitate subiecit, cuius exemplo imbutos eorum animos coelesti gratia dignos, coelestis arcani redderet esse capaces.

⁷²⁴ *Et mater, inquit, eius conservabat omnia verba conferens in corde suo*. Omnia quae de Domino, vel a Domino dicta sive acta cognoverat mater Virgo, diligentius in corde retinebat, sollicitè cuncta memoriae commendabat, ut cum demum tempus praedicandae sive scribendae incarnationis eius adveniret, sufficienter uni-

versa, prout essent gesta, posset explicare quaerentibus. Imitemur et nos, fratres mei, piam Domini matrem, ipsi quoque omnia verba et facta Domini ac Salvatoris nostri fixo in corde conservando, horum meditatione diurna et nocturna importunos inanium nocentiumque cogitationum repellamus incursum: horum crebra collatione et nos et proximos nostros a fabulis supervacuis et male dulcoratis detractionum colloquiis castigare, atque ad divinae frequentiam laudis accendere curemus. Si enim, fratres charissimi, in futuri beatitudine saeculi habitare in domo Domini, ac perpetuo illum laudare desideramus, oportet nimirum et in hoc saeculo quod in futuro quaeramus, sollicitè praemonstremus: frequentando videlicet Ecclesiae limina, et non solum in ea laudes Domini canendo, sed et in omni loco dominationis eius ea, quae ad laudem gloriamque conditoris nostri proficiant, verbis pariter ac factis ostendendo.

⁷²⁵ *Et Iesus, inquit, proficiebat scientia, aetate et gratia apud Deum et homines*. Natura verae humanitatis indicat, in qua proficere ad tempus voluit, qui in divinitate idem est, et anni eius non deficient. Iuxta hominis quippe naturam proficiebat sapientia, non quidem ipse sapientior ex tempore existendo, qui a prima conceptionis hora spiritu sapientiae plenus permanebat, sed eandem, qua plenus erat, sapientiam ceteris ex tempore paulatim demonstrando. Iuxta hominis naturam proficiebataetate, quia de infantia ad pueritiam, de pueritia ad iuventutem, consueto hominibus crescendo ordine pervenit. Iuxta hominis naturam proficiebat gratia, non ipse per accessum temporis accipiendo, quod non habebat, sed pandendo donum gratiae quod habebat. Et bene cum dictum esset, quia *Iesus proficiebat sapientia, a-*

tate et gratia, adiunctum est, *apud Deum et homines*: quia quantum proficiente aetate hominibus sapientiae et gratiae, quae sibi inerat, dona patefaciebat, tantum eos ad laudem Dei Patris semper excitare curabat, peragens ipse quod ceteris agendum praecepit: *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in caelis est*. Atque ideo non solum apud homines gratia et sapientia proficere dicitur, in quantum ipsi eius sapientiam gratiamque potuere cognoscere, sed etiam apud Deum, in quantum ad eius laudem gloriamque, sapientiam ac gratiam, quam in eo cognovere, retulerunt: cuius beneficiis ac muneribus aeternis sit laus et gratiarum actio in omnia saecula saeculorum. Amen.

Varia de Epiphania, ex Benedicto XIV.

[DE FESTIS DOM., LIB. I, CAP. 2, N. 13, 14.]

XIII.

⁷²⁶ **B**ARONII loco citato post allatum Theophylacti auctoritatem ait: *Ae, quod Magi fuerint Reges, etiam Theophilactus asserti; idemque Fialdium sua traditio tenet*. Suarez, l. 6, Sect. 2, in fine ita de hac sententia loquitur: *Sententia haec plausibilis est; cumque Christianus populus iam olim imbuat*. Theophilus Raynaudus loco supra laudato p. 97, n. 15, magnum Scriptorum aggerit cumulum, Magis regiam dignitatem tribuentium, *Iate accepto Regis nomine pro quovis Toparcha*. Natalis Alexand. in Commentar. ad Cap. 2. Matthaei quod in Historia Ecclesiastica affirmasse ostendimus, minime retractat, sed potius confirmat: *An Reges proprie fuerint, anxie disputandum non putamus, cum ea de re sileat Evangelium, et Oracium illud Davidicum Psal. 71, v. 10: Reges Tharsis et Insulae munera offerunt, Reges Arabum et Saba dona adducent, vocationem Gentium, et Procurrem etiam ex Gentibus a Christo, et ad Christum praemittit, unde subditur: Et adorabunt eum omnes Reges terrae, omnes Gentes servient ei. Magos tamen adoratores Christi Dynastas fuisse, ac Regulos probabile est*. Plura vero si quis cupit, adeat Galensium in Not. ad Martyrol., pag. 13; Honoratum

a S. Maria tom. 2 de usu et Regulis Criticæ lib. 3, dissert. 4, art. 2; Ayalam in opere, *Pictor Christianus*, lib. 3, cap. 3, n. 5; Sandium in *Histor. Sacr. Familæ*, cap. 3; et Card. Gottm., de *verit. Relig. Christ.*, tom. 4, par. 1, cap. 2, § 14 et seq.

727 XIV. Monet celebris Theologus Melchior Canus, lib. 11, de loc. Theolog., cap. 5, qui palam affirmare audeat Magos non fuisse Reges, cum in prudentia regulas magnopere peccatorum; ex eo enim non nisi rumores et querelas passim orituras in vulgus, qui iam contrariam imbibit opinionem, camque solidis fundamentis innixam. *Hanc opinionem, ut quæ plausibilis sit ac popularis, Christiani fideles iam olim libenter induerunt. Neque operæ pretium iudico, si quis in Concione publica eam dissuadere conetur; nam dissuadere nihil ulit; ac frustra viti, et nihil aliud quam laborando odium quærere extreme demeritæ est. Quod si paucis forte quibusdam fidei argumentatione tua feceris, multas tamen in populo querelas, dissidia, ac lites induces. Sine ergo, plebem probabilissimam opinionem, præsertim quæ penitus insidit, atque inveteravit, cum suis Maioribus retinere.*

SABBATO

Homilia S. Bonaventuræ Episcopi.

DOM. INFRA OCT. EPIPH., SERMO 7.

728 **I**NVENERUNT illum in templo sedentem in medio doctorum, audientem illos et interrogantem eos, Lucae secundo.

729 Ostenditur hic spiritualiter ad invenendum puerum Iesum primo loci qualitas, cum dicitur: *invenerunt illum in templo*; secundo, *inveni dignitas* sive inveniendi forma, cum dicitur: *sedentem in medio doctorum*.

730 Quantum ergo ad primum dicitur: *Invenerunt illum in templo*. Circa quod nota septem templa, in quibus devote quæsitus noster Iesus spiritualiter procul dubio invenitur, ut Ioannis septimo: *Clamabat Iesus in templo*; Lucae secundo: *Et venit in spiritu in templum*; et in multis aliis locis: primo in templo *materialis basilicæ* per orationem devotam; Psalmus: *Adorabo ad templum sanctum tuum*

et confitebor nomini tuo; Apocalypsis vigesimo primo: *Et templum non vidi in ea. Dominus enim Deus omnipotens templum illius est et Agnus*. — Secundo, in templo *universalis Ecclesiæ* per immaculatam fidem; primæ ad Corinthios tertio: *Templum Dei sanctum est, quod estis vos. Dei ædificatio estis*. — Tertio, in templo *sanctæ animæ* per puritatem conscientiæ; primæ ad Corinthios tertio: *Nescitis, quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis?* et sexto: *Nescitis, quia membra vestra templum sunt Spiritus sancti?* — Quarto, in templo *Virginis gloriosæ* per nitiditatem castitatis mundissimæ; Psalmus: *Sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate*. Item, *Dominus in templo sancto suo*; Malachiae tertio: *Statim venit ad templum suum*. — Quinto, in templo *immaculatæ personæ* sive humanitatis Christi per affectionem considerationis duplicis in eo unitæ naturæ; Ioannis secundo: *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud. Ille autem dicebat de templo corporis sui*; Ezechielis quadagesimo tertio: *Fili hominis, ostende domui Israël templum, et confundantur ab iniquitatibus suis*. — Sexto, in templo *religionis* sive sacrae vitæ per morum claritatem; ad Ephesios secundo: *In quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino*; primæ ad Corinthios tertio: *Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus*; et tertii Regum octavo: *Et templi, quod ædificavi nomini tuo*. — Septimo, in templo *æternæ gloriæ* per adptionem stolæ geminæ; Apocalypsis tertio: *Qui viderit faciam illum columnam in templo Dei mei*; Psalmus: *In templo eius omnes dicent, gloriam*; Isaia sexto: *Ea quæ sub ipso erant, replebant templum*.

Quantum ad secundum subditur: *sedentem in medio doctorum*. Circa quod

nota, quod invenimus Iesum nostrum in medio multis modis in Scriptura: primo, *iacentem* in præsepio in medio animalium in speculum viscerosissimæ clementiæ; Habacuc tertio: *In medio duorum animalium notesceris*, secundum litteram Septuaginta. — Secundo hic, *sedentem* in medio doctorum in speculum fontalis sapientiæ; Ioannis primo: *Medius autem vestrum stetit quem vos nescitis*. — Tertio, *ministrantem* in medio discipulorum in subsidium nostræ abolendæ superbiæ; Lucae vigesimo secundo: *Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat*. — Quarto, *venientem* sive assistentem in medio fratrum in suffragium amoris et corroborantiæ; Matthæi decimo octavo: *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*. — Quinto, *offerentem* se in medio templi in ministerium spiritualis doctrinæ; Psalmus: *Suscipimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui*. — Sexto, *conversantem* in medio terræ in exemplum sanctissimæ vitæ; Psalmus: *Deus autem, Rex noster ante sæcula, operatus est salutem in medio terræ*. — Septimo, *transeuntem* per medium provinciarum in documentum strenuissimæ solertiæ; Lucae decimo septimo: *Dum iret Iesus in Ierusalem, transibat per mediam Samariam et Galilaean*. — Octavo, *venientem* per medium civitatum in solatium efficacissimæ gratiæ; Marci septimo: *Venit per Sidonem ad mare Galilææ inter medios fines Decapoleos*. — Nono, *euntem* per medium turbarum persequentium in signum irrefragabilissimæ patientiæ; Lucae quarto: *Ipse autem, transiens per medium illorum, ibat, quando vulerunt eum præcipitare*. — Decimo, *pendentem* in medio latronum in patibulo in pretium nostræ redemptionis; Ioannis decimo nono: *Crucifixerunt eum et cum eo alios duos hinc*

et hinc, medium autem Iesum. — Undecimo, *stantem* in medio Apostolorum in obsequium reddendæ lactitiæ; Ioannis vigesimo: *Venit Iesus et stetit in medio et dixit eis: Pax vobis*; Lucae ultimo: *Stetit Iesus in medio eorum et dixit eis: Pax vobis*. — Duodecimo, *ambulantem* in medio trium puerorum in praesagium spiritualis assistentiæ et Sanctorum curæ; Danielis tertio: *Video quatuor viros solutos et ambulantes in medio ignis; et species quarti similis Filio Dei*. — Decimo tertio, *apparentem* de medio rubi in signum incarnationis de Virgine; Exodi tertio: *Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi*. — Decimo quarto et ultimo, in medio septem candelabrorum aureorum in fastigium suæ excellentiæ; Apocalypsis primo: *Vidi in medio septem candelabrorum aureorum similem Filio hominis, etc.*

Varia de Epiphania, ex Benedicto XIV.

(DE FESTIS DOM., LIB. 1, CAP. 2, N. 15, 16).

XV.

732 **I**NSIGNIS idem Theologus docet, quomodo rationem illam diluamus, Magos ab Evangelista Reges minime appellari, qui si ea præditi fuissent dignitate, sane ab Herode honorificentius fuissent excepti. Quod enim Regum nomen Evangelista suppresserit, id omnino nihil est; non enim existimavit Evangelii testimonium Regio opporatu cumulatundum, quod Magorum sapientiam, et gravitatem amplissime ornaret. In veritate sane occulta confirmanda, Regia appellatio obscura et attona erat; Magorum vox præclara et opportuna. Nam, quod Herodes Magos parum honorifice exceperit, hoc aut Herodiani factus indicium est, aut Romanæ gloriæ et Maiestatis. Indignum vero est magni Regis tumorem in minorum incivitan odiumque convertere.

733 XVI. Melchioris Cani vestigia tenuerunt alii a nobis memorati, qui Magos Reges fuisse arbitrantur. Addunt etiam, Herodem eorum non minam habuisse rationem, qui cum ab eis accepisset, natum esse Regem Iudacorum, quo nuncio tantopere commotus est, eos veluti alicuius coniurationis participes neque conici in vincula iusserit, neque

interfici, neque e sui Regni finibus pelli: quod certe fecisset, nisi eorum dignitate ab inferenda iniuria fuisset deterritus: Magos autem non nisi sua dignitate fretos cum Herode ausos esse adeo libere colloqui. Nam quod eos Bethlehemo abissis Herodes tam soro resciverit, id quidem eandem habet difficultatem, sive Magi fuerint Reges, sive non fuerint; nec ad hanc quaestionem propterea pertinet, nec alio referendum est quam ad Herodem ipsum, cuius intererat omni studio et diligentia de nunciato sibi novi Regis ortu certioram fieri velle: quemadmodum autem Dei nutu factum est, ut Magi per aliam viam in suam ipsorum patriam Herode inscio renigraverint, ita supremae eiusdem voluntati visum est, ut Herodes multo serius, quam par erat, ad eorum projectionem adverteret animum.

DOMINICA II. POST EPIPHANIAM

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM IOANNEM.

IOANN. II, 1-11.

- I**n illo tempore: Nuptiae factae sunt in Cana Galilaeae: et erat mater Iesu ibi.
 2. Vocatus est autem et Iesus, et discipuli eius, ad nuptias.
 3. Et deficiente vino, dicit mater Iesu ad eum: Vinum non habent.
 4. Et dicit ei Iesus: Quid mihi, et tibi est mulier? nondum venit hora mea.
 5. Dicit mater eius ministris: Quodcumque dixerit vobis facite.
 6. Erant autem ibi lapideae hydrae sex positae secundum purificationem Iudaeorum, capientes singulae metretas binas vel ternas.
 7. Dicit eis Iesus: Implete hydras aqua. Et impleverunt eas usque ad summum.
 8. Et dicit eis Iesus: Haurite nunc, et ferte architrachino. Et tulerunt.
 9. Ut autem gustavit architrachinus aquam vinum sciebant, qui hauserant aquam: vocat sponsum architrachinus.
 10. Et dicit ei: Omnis homo primum bonum vinum ponit: et cum inebriati fuerint, tunc id, quod deterius est: tu autem servasti bonum vinum usque adhuc.
 11. Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilaeae: et manifestavit gloriam suam, et crederunt in eum discipuli eius.

Homilia S. Augustini Episcopi.

IN IOANN. EVANG. TRACT. 9.

ADSIT Dominus Deus noster, ut donet nobis reddere quod promissimus. Hesterno enim die, si meministis Sanctitas vestra, cum temporis excluderemur angustia, ne ser-

monem inchoatum implem, in hodiernum distulimus, ut ea quae in hoc facto evangelicae lectionis mystice in sacramentis posita essent, ipso adiuvante aperirentur. Non itaque opus est iam immorari diutius in commendando Dei miraculo. Ipse est enim Deus qui per universam creaturam quotidiana miracula facit, quae hominibus non facilitate, sed assiduitate viluerunt: rara autem quae facta sunt ab eodem Domino, id est a Verbo propter nos incarnato, maiorem stuporem hominibus attulerunt: non quia maiora erant, quam sunt ea quae quotidie in creatura facit, sed quia ista quae quotidie fiunt, tamquam naturali cursu peraguntur; illa vero efficacia potentiae tamquam praesentis exhibita videntur oculis hominum. Diximus, sicut meministis, resurrexit unus mortuus, obstupuerunt homines; cum quotidie nasci qui non erant, nemo miretur. Sic aquam in vinum conversam quis non miretur, cum hoc annis omnibus Deus in vitibus faciat? Sed quia omnia quae fecit Dominus Iesus, non solum valent ad excitanda corda nostra miraculis, sed etiam ad aedificanda in doctrina fidei; scrutari nos oportet quid sibi velint illa omnia, id est, quid significant. Horum enim omnium significationes, sicut recordamini, in hodiernum distulimus.

Quod Dominus invitatus venit ad nuptias, etiam excepta mystica significatione, confirmare voluit quod ipse fecit nuptias. Futuri enim erant, de quibus dixit Apostolus, prohibentes nubere (I TIM. IV, 3), et dicentes quod malum essent nuptiae, et quod diabolus eas fecisset: cum idem Dominus dicat in Evangelio, interrogatus utrum liceat homini dimittere uxorem suam ex qualibet causa, non licere excepta causa fornicationis. In qua responsione,

si meministis, hoc ait: *Quod Deus coniunxit, homo non separet* (MATH. XIX, 3-6). Et qui bene eruditi sunt in fide catholica, noverunt quod Deus fecerit nuptias, et sicut coniunctio a Deo, ita divortium a diabolo sit. Sed propterea in causa fornicationis licet uxorem dimittere, quia ipsa esse uxor prior noluit, quae fidem coniugalem marito non servavit. Nec illae quae virginitatem Deo vovent, quamquam amplioem gradum honoris et sanctitatis in Ecclesia teneant, sine nuptiis sunt: nam et ipsae pertinent ad nuptias cum tota Ecclesia, in quibus nuptiis sponsus est Christus. Ac per hoc ergo Dominus invitatus venit ad nuptias, ut coniugalis castitas firmaretur, et ostenderetur sacramentum nuptiarum: quia et illarum nuptiarum sponsus personam Domini figurabat, cui dictum est: *Servasti vinum bonum usque adhuc*. Bonum enim vinum Christus servavit usque adhuc, id est, Evangelium suum.

Iam enim incipiamus ipsa sacramentorum opera detegere, quantum ille donat in cuius nomine vobis promissimus. Erat prophetia antiquis temporibus, et a prophetiae dispensatione nulla tempora cessaverunt: sed illa prophetia, quando in illa Christus non intelligebatur, aqua erat. In aqua enim vinum quodammodo latet. Dicit Apostolus quid intelligamus in ista aqua: "Usque ad hodiernum, inquit, diem, quamdiu legitur Moyses, id ipsum velamen super eorum positum est; quod non revelatur, quia in Christo evacuatur. Et cum transieris, inquit, ad Dominum, auferetur velamen" (II COR. III, 14-16). Velamen dicit adoperationem prophetiae, ut non intelligeretur. Tollitur velamen, cum transieris ad Dominum: sic tollitur insipientia, cum transieris ad Dominum, et quod aqua erat, vinum tibi

fit. Lege libros omnes propheticos, non intellecto Christo, quid tam insipidum et fatuum invenies? Intellige ibi Christum, non solum sapit quod legis, sed etiam inebriat; mutans mentem a corpore, ut praeterita obliviscens, in ea quae ante sunt extendaris (PHILIPP. III, 13).

Ergo prophetia ab antiquis temporibus, ex quo prorsus currit ordo nascentium in genere humano, de Christo non tacuit: sed occultum ibi erat; adhuc enim erat aqua. Unde probamus quod omnibus temporibus superioribus usque ad aetatem qua Dominus venit, prophetia de illo non defuit? Ipso Domino dicente. Cum enim resurrexisset a mortuis, invenit discipulos dubitantes de ipso quem secuti erant. Viderunt enim eum mortuum, et non speraverunt resurrecturum, et tota spes eorum condidit. Unde ille latro laudatus, ipso die meruit esse in paradiso? Quia in cruce fixus tunc confessus est Christum (LUC. XXIII, 40-43), quando de illo discipuli dubitaverunt. Ergo invenit eos nutantes, et quodammodo arguentes seipsum quod in illo redemptionem speraverant. Dolebant tamen cum sine culpa occisum, quia noverant innocentem. Et hoc ipsi post resurrectionem dixerunt, cum quosdam eorum tristes invenisset in via: "Tu solus peregrinaris in Ierusalem, et non cognovisti quae facta sunt in illa istis diebus? Ille autem dixit eis: Quae? Illi autem dixerunt: De Iesu Nazareno, qui fuit vir propheta, potens in factis et dictis in conspectu Dei et universi populi, quomodo hunc tradiderunt sacerdotes et principes nostri in damnationem mortis, et cruci eum fixerunt. Nos autem sperabamus, quia ipse erat qui redempturus esset Israel; et nunc tertius dies agitur hodie, ex quo haec facta sunt."